

ut, inter ipsum videri & non videri, quasi inter esse & non esse, palpitationem & vitæ principium ageret.

C A P. V.

Cordis motus actio, & functio.

EGO ex his tandem & hujusmodi observationibus repertum iri confido, motum cordis ad hunc modum fieri.

Primum sese contrahit auricula, & in illâ contractione sanguinem contentum, quo abundat, (tanquam venarum caput, & sanguinis promptuarium & cisterna) in ventriculum cordis conjicit; quo repleto cor sese erigens, continuo omnes nervos tendit, contrahit ventriculos, & pulsum facit, quo pulsu immissum ab auricula sanguinem continenter protrudit in arterias; dextet ventriculus in pulmones per vas illud, quod vena arteriosa nominatur, sed revera, & constitu-